

Disputatio medica de sensu externo laeso / [Isaac Wallich].

Contributors

Wallich, Isaac.
Blasius, Gerardus Leonardus, 1626?-1692.
Universiteit van Amsterdam.

Publication/Creation

Amsterdam : J. Rieuwerts, 1675.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ccayfpfy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
DE
SENSU EXTERNO LÆSO,

Quam

Divina favente gratia

Sub præsidio

Clarissimi Expertissimique VIRI

D. GERARDI BEAUSI~~I~~, ab Oost-vliet,

Medicinæ Doctoris & Professoris Ordinarii,

Publicè

In Illustri Amstelodamensium Athenæo

Defendere conabitur

I S A A C U S W A L L I C H,

Confluentinus, ex Episcopatu Treverensi.

Ad diem

Horis locoque solitis.



AMSTELODAMI

Apud JOANNEM RIEUWERTS,
Civitatis & Illustris Athenæi Typographum, MDCLXXV.



DISPUTATIO MEDICA
DE
SENIS EXERCTIONE
VIRIS

HONORANDIS

D. SALOMONI WALLICH,

Medicinae Doctor, & Civitatis Confluentinae

medico Ordinario,

Parenti;

D. DAVEDI WALLICH,

Medic. Doct: & Practico Treveriensi.

D. ABRAHAMO WALLICH,

Med. Doct. & Practico Francofurtensi,

Patruis;

D. GERARDO BLASIO, ab Oost-vliet,

Medic. Doct. & in Illustri Academiâ Amstelodamfi Pro-

fessori Ordinario Bibliothecæ Publicæ præfecto, & No-

socomii Publici Medico, Practico felicissimo, Anatomico

& Chymico dexterimo,

Præsidi & Præceptorи,

Disputationem hanc Medicam

In grati animi, debitæque observantia signum,

Offert

ISAACUS WALLICH.

DISPUTATIO MEDICA

De SENSIBUS EXTERNIS LÆSIS.

P R A F A T I O

Sensuum Externorum lœsiones exhibituri Causas proximas præcipue spectabimus, originem earum sive consideremus, sive emendationem.

T H E S. I.

Primo h̄ic se offert V I S U S. Hujus omnimoda ablatio, COECITAS dicta, CAUSAS agnoscit varias, præcipuæ earum i. Nervi optici angustia, & Gutta serena dicitur. Hæc à quâ Causa dependeat, ubi de Apoplexia traditur. II. Humorum Oculi incrassatio aut imminutio. Illa, cruditati sanguinis debetur, copiæque vaporum internorum. Hæc Causis spiritus consumentibus, febri præcipue, ætati, vigiliis, veneri, aut etiam vulnerando, ulcerando, rumpendo tunicas, exitum iis procurantibus. III. Tunicæ corneæ incrassatio aut incrustatio. Hæc quoad superficiem interiam Cataracta, quoad externam Unguis dicitur, de quibus in Chirurgia Illa sanguini cuivis, imprimis pituitoso adscribenda, maxime si usus Topicorum dissipantium accesserit.

C U R A T I O Causis accommodanda. Nervi optici angustia ut in Apoplexiâ tollatur. Humoris aquei incrassatio Suffusionis curam habet, de qua mox. Ejusdem imminutio tentari potest (malum enim vix curabile) diæta nutriente, fomentisve oculum humectando roborantibus, vulnere, ulcere, ruptura corneæ, si adfuerint, curatis. Corneæ incrassationi (universalibus, si necesse, non neglecti) emollientia convenient, cataplasmati forma usurpata. De Cataractæ & Unguis ablatione Chirurgia.

A

II. Im-

II. Imminutionis Visus quæ AMBLYOPIA dicitur licet variæ species, medicæ tamen imprimis considerationis A MAUROSIS, ubi obscurior visus ob Pupillæ opacitatem, Humorum crassitiem, Nervique optici leviores obstructionem. CURATIO topica detergentia exigit, & dissipantia, quandoque & purgantia universalia æque ac particularia Capitis.

III. Depravatur idem cum omnia videntur certi coloris, variorum corpusculorum specie. SUFFUSIO vocatur, & quidem, tenuis si fuerit materia, notha, si crassior vera, CAUSA halitus sunt sanguinis serosi, pituitosi, biliosi aut alterius conditionis, in humoribus oculorum, aqueo fere, collecti, sinceri mixtive.

CURATIO primo humorem divertit per Cataritica, imo Caputpurgia omnis ordinis, vesicantia etiam cervici & post aures applicata, fontanellas, setones, cucurbitulas cum scarificatione, cervici itidem atque scapulis applicatas; Venæsectio quoque non raro confert. Oculo hinc affecto Topica adhibet primo leniter repellentia, mox cum emolliatione dissipantia.

IV. AUDITUS ablatio SURDITAS, ut ejus imminutio SUBSURDITAS, & gravis auditus, dicitur.

CAUSA est I. in Meatu auditorio, cum obstructus est à Cerumine, Pure, aut Externis illapsis, constipatus à Tuberculo, compressus à Tumore externo, aut ab Osse fracto. II. in Tympani membranâ, cum id læsum est ex vulnere, ruptura, &c. incrustatum à Pure, Cerumine, addensatum à Tumore fere inflammatorio. III. In Cochlea & Labyrintho, cum repletur ab humore alieno, seroso, pituitoso, purulento. IV. In Nervo auditorio, cum obstructus est, occlusus ab humore, in Cerebro contento, pituita maxime, sanguineque extravasato.

CURATIO. Cerumen aut alia p. n. in meatu dicto haerentia instrumentis aptis auferri debent, præmissa si necesse

emol-

emollitione. *Tumores atque Tubercula*, in aure aut extra eam, ut curari debeant Chirurgia tradit. Eadem & de *Vulnera*, *Ulcere*, *Rupturaque Tympani*, nec non *fracturâ cranii* agit. *Humores in Cerebro, & Nervo*, detenti quæ media ad debitam Correctionem Evacuationemque requirant, ubi de *Apoplexia* exponitur.

V. *Depravatur Auditus in TINNITU*, sono qui p. n. in aure observatur. Causa efficiens *Humor* est p. n. in aurem incidens, flatulentus, qualis maximè in Melancholicis, Catharrosis, suppressis Mensibus laborantibus.

CURATIO. *Humores hic hærentes flatusve*, ablatâ aut correctâ causâ remotiore unde dependent, interna extername, universalibus particularibusque commodis emendandi ac educendi. *Dolor nimius* si adfuerit, convenientibus tollendus.

VI. *GUSTUS Imminuitur aut aboletur* in initio Paralyseos, cuius causæ atque curatio hîc obtinent.

VII. Idem depravatur cum alienus sapor percipitur, cuius vitii Causa est *Saliva* similis qualitatis, vitio sanguinis, aut vaporum ex ventriculo pulmonibusve alterata. CURATIO itaque *Sanguinis* vitium debitiss alterantibus & evacuantibus, particulariter æque ac universaliter, corrigit, *Ventriculum* purgat, *Pulmonum* ulcus sanare studet.

IX. *ODORATUS aboletur aut imminuitur*. Vitio *Narium*, quando constipantur à polypo, aut ulcere sordido, vel comprimuntur à fractura ossium nasi. 2. Vitio *Ossis Ethmoidis*, cum ejus *foramina clauduntur*, à causis modo dietis, vel ab humore crassiore intra cranium collecto, qualis maxime pituita, sanguis extravasatus, aut pus ipsum. 3. Vitio *Nervorum odoratoriorum* ab humore pituitoso obstructorum, aut ab eodem, pure, vel sanguine extravasato compressorum.

CURA varia pro Causæ diversitate Si ab *Ulcere*, *Poly-
po*, *Fractura*, ea suo modo, de quo Chirurgia agit, curanda.

Obstructio foraminum Ossis ethmoidis, aut Nervi odoratoris, imo & Compressio à pituita, hujus Alterationem, hinc per universalia & particularia Educationem, ultimo & Capitis roborationem, exigit. At si à pure aut sanguine extravasato sit, post dissipantia trepani usus commendatur.

IX. *Depravatur Idem, ob conditionem variam partium nasum constituentium, aut eo contentorum. Curatio adeoque & eo dirigenda.*

X. *T A C T V S læsus cum molestia D O L O R vocatur.*

C A U S A præcipua continui est solutio in parte sensili ab iis, quæ erodere, pungere, secare, divellere, contundere, rumpereque valent, sive quantitate, sive qualitate, sive utraque egerint. Huc Aer, Alimenta, Potulenta, Medicamenta, Venena, Motus corporis indecens, Excrementa retenta, Externa violenta quævis. Huc Sanguis omnis conditio-
nis, quantitate qualitateve peccans, Calculi, Vermes, Flatus, Ossium fragmenta.

C U R A T I O duabus indicationibus peragitur, *Causæ re- motione, Dolorisque per Anodyna atque Narcotica placatio- ne.* Clariora hæc erunt in particularibus, ubi & Causas frequentiores tantum, & Curationem eam solum quæ Causas respicit, indicabimus, cum & rariora alibi proponere consti- tuerimus, & Doloris placatio ubique in casu gravi locum ha- beat. Breviter adeoque species præcipuas percurremus.

X I. C A P I T I S D O L O R nomina varia accepit, præcipue occurunt *Cephalalgia*, cum recens est, vel mitis; *Cephalæa*, cum inveteratus, vel gravis, *Hemicrania*, ubi dimidia capitis pars occupatur, *Galea*, ubi superior tantum, *Clavus*, *Nux*, *Ovum*, cum magnitudinem clavi, nucis, ovi, dolor habet.

C A U S A hæc variæ; externe imprimis *calor Aeris*, *Me dicamentorum Topicorum odorumque*, & *Violenta quævis*, interne fragmenta *Cranii*, *Sanguis caidus*, *salsus*, *acidus*, *malignus*, *excedens*, *Mucus retentus*, *Catharrus*, *Flatus*, *Vapores*, *Venriculi* aliarumque partium.

C u-

CURATIO variat pro Causarum varietate. Si à Calore extero Topica convenient refrigerantia, ablatâ, si fieri potest, primo Causâ ipsâ. *Vulnera, Contusiones, Fracturæ* qua ratione tractanda Chirurgia tradit. *Sanguis* quam curam exigat hoc illove modo constitutus, *Mucus, Catharrus, Flatus* suo loco docetur. Jam actu dolorem causans, Topica requirit Alterantia, pro sui conditione refrigerantia, calefacientia, attemperantia, hinc, maxime si frigidior humor fuerit, Evacuantia particularia, quo spectant Errhina, Ptarmica, Apophlegmatisantia, Setones, Vesicatoria, Fontanellæ. *Vapores* partem humorem ve unde elevantur respici volunt.

XII. OCULORUM *dolor* CAUSA M habet vel simpliciter pungens, ut sunt *Sanguis acris & lachrymæ, Fumus, Pulvis, Vapore ex allio, raphano, sinapi, &c.* vel insuper divellens, ut *Sanguis*, aut erodens ut *Pus, Calx, &c.*

Omnia quibus mediis corrigi, aut auferri debeant ubi de Inflammatione & Ulcere oculi Chirurgia tradit. Vix enim considerationem singularem, aut aliquid præter anodynus usum, alienique externi, si adfuerit, ablationem, exigunt, nisi ubi vel illa vel hoc se ostenderit.

XIII. A URIS dolore quod infestetur vel itidem Causæ Tympanum, nervosque pungenti debetur, ut Cerumini, externisve Medicamentis, vel erodenti, ut Puri, vel distendenti, ut Sanguini in inflammatione, Flatuque.

CURA. De Inflammatione & Ulcere tympani membranae Chirurgia agit. Flatui topica carminativa moderatione conveniunt. Externa, aliaque in meatu auditorio hærentia instrumentis aptis chirurgicis auferenda.

XIV. DOLORIS DENTIUM s. ODONTALGIÆ CAUSA Catharrus est acris simili ex sanguine ortus, calidus frigidusve, Sanies dentis, Externa vi alterandi prædicta, imprimis cavo dentis recepta, violenta dentis Extractio, aut mobilis dentis attactio.

CURATIO methodica Causam debitum Mediis auferri,

aut saltem alterari exigit. Huc ergo quæ Catharro, Sanguinique acri, debentur, quæ itidem de Carie, & Mobilitateque dentium, Chirurgia tradit. Hinc, imo interea dum hæc agimus, si, ut fere fit, humorum affluxus dolorem causaverit, Adstringentia temporibus, fronti, ipsisque dentibus admovemus. Imo in vehementi dolore denti excavato Spiritum vini, Oleum vitrioli, origani, caryophillorum aut simile, cum aut sine camphora, gossipio exceptum, imponimus.

XV. Spectat hic Dolor, qui in DENTITIONE se exhibet, cuius SIGNA in Infantibus dentitionis tempus, digitorum continua in os infertio, papillarum dum sanguunt lac arctior apprehensio, gingivæ eo loco quo dens prodit albedo, vigilæ, febris, terror in somno, alvi fluxus.

Topicæ hic prosunt gingivas Emollientia, hinc inflammationem, doloremque lenientia, imò gingivam quandoque dissecare necesse. Interim febris, aliorumque symptomatum specialis instituatur mitigatio.

XVI. FAUCIUM DOLOR Causam habet Sanguinem calidum, quandoque Catharrum acrem, rarius Externa acria, ut spinam piscis, &c. inflammatio hinc fere excitatur, quæ Angina vocari solet, maxime si Musculos faucium occupet, de qua Chirurgia.

CURA, Sanguis hic Topicis aptis alterandus, & discutiendus, similiter ac Catharrus, non neglectis iis quæ Sanguini, Catharroyè, in universo debentur Spinæ aut similis externi extractio committitur Chirurgo.

XVII. LATERIS dolor punctorius, cum febri, tussi, difficile respiratione Pleuritis vocari solet. Duplex hæc est, Vera, quæ à verâ pendet inflammatione, pleura sive sola afficiatur, sive cum ea partes adsitæ, sive etiam hæ solæ. vel ab Echymosi, & Notha, quæ ab Inflammatione notha, Catharro, flatuve, quæcunque etiam dictarum partium afficiatur.

i C A U S A S indicavimus. In Inflammatione verâ Sanguis

guis copia caliditateve peccans accusatur, adjuvat hic Vasorum intercostalium a pituita, ob frigidum potum, aëremvè, dum calebat homo, obstruetio. In notha Sanguis quicunque cacoehymicus, Catharrus, & Flatus. in Echymosi Vasorum Anastomosis à sanguinis tenuitate, vel Diairesis à violencia externa. De Sanguine suo loco speciatim egimus. Egimus & de Catharro Flatibus hīc ferè occasionem dant nimius Motus corporis, externaque calidiora.

CURATIO qualis institui debeat in *Inflammatione utraque Chirurgia* tradit. *Echymosis* Topica moderate resolventia exigit, præter Venæsectionem, sudorisque promotionem; *Catharrus* loco Venæsectionis purgationem magis suadet. *Flatum* sola fere Topica discutiunt.

XIX. EPIGASTRIO obveniens dolor Ventriculo proprius *Cardialgia* vocari solet. **CAUSÆ** & hīc vel Pungantia sunt externa internave, *Alimentacil. Potulenta, Venena, Medicamenta*, aliaque deglutita, *Ensis, &c.* *Humor calidus, acris*, qualis maxime *Catharrus*; Vel Divilentia ut *Assumpta copiosiora, cruda, Flatus, Sanguis inflammans.* Vel Erodentia ut *Vermes*. Sive in ventriculi tunicis contineantur, aut extra eas, sive, quod fere, in cavitate ejus. Quod si *Mucus defecerit* plus valent Causæ dictæ.

CURATIO Causas corrigit. Ita *Adsumpta* per Vomitum aut Purgationem ejicienda, non neglecta & Alteratione, si necesse, convenienti. *Humores acres, calidi, maligni, Flatus ipsi Alterandi & debite Evacuandi, habita Causæ remotionis unde proveniunt consideratione.* *Vermes* evacuari itidem exigunt. *Sensilitas Ventriculi Emplastica* exigit, ut Emulsiones, Mucilagines, &c. quæ etiam in aliis post eva-
cuationem justam locum habent. De *Vulnere Ventriculi* chirurgia. Semper hīc, evacuatione & alteratione prægressa, *Ventriculus adstringentibus Roboretur internis externisve.* *In Dolore nimio* ad Anodyna, imo tandem & Narcotica, interna externave, devenire cogimur.

XIX. HYPOCHONDRIACUS dolor in Hepate præcipue locatur, aut Liene, Ille *Hepatitis*, hic *Splenitis* dici variis solet. **Causa** *Inflammatio* est, parenchyma, aut tunicam, vel utrumque, occupans, rarius *Abscessus* aut *ulcus*. Omnia **SIGNA**, & **CURA** Chirurgia exhibet.

XX. Ad INANIA sese exhibens dolor, in Renibus ordinario fundatur. Hic, *Nephritis* dictus, **Causa** agnoscit vel *Inflammationem eorum ulcusive*, vel *Calculum* in substantia eorum aut cavitatibus hærentem, unum, pluresve. Facit huc *Sanguis calidus acris*, qui hinc vires adsunt à *Diureticis*, *Lythontripticis*, *Purgantibus fortioribus*, *Decubitu supino super lectum calidum*, *Vestimentis calidis*, *Balneisque similibus*. Imò & *Violenta externa* ut *Casus*, *Ictus* corporis motus nimius, &c. hic multum valent.

CURATIO qualis *Inflammationi ulcerive renum* debatur Chirurgia exponit. *Calculi Curatio* ac *præservatio* suo loco traditur.

XXI. INTESTINIS Tenuibus Dolor obveniens à potiore, *Iliacus*, uti qui Crassorum est *Colicus*, vocari solet. **Causa** vel intra tunicas hæret, vel in Cavitate ipsa. Illa *Sanguis* est, distendens, pungensve, qualis in *Inflammatione*, eamque sëpe in sequente *Ulcere*, *Gangræna*, *Erysipela*, *Ecchymosi*. Hæc *vermes*, *Fæces*, *Flatus*, *Chylus*, *Bilis*, *Succus pancreaticus*, *Humores impuriores*, *maligni*, *naturæ* aut *artis ope affluentes*, *Medicamenta*, *Venena*, pungendi, distendendi, erodendi virtute prædita. Adjuvat *Muci Intestinalis detectus* Considerabile hic, fœces intestina quandoque distendere ob mutuam eorum *intussusceptionem*, ubi una intesini pars aliam ingreditur. Inflammationi, gangrænæque qui debetur dolor, similiter ac qui mutuæ receptioni, *Miserere mei* dici solet, aliis impropriæ *Volvulus*.

CURA. Si ab *Inflamm Erysipel. Ecchymomate, Gangræna, Intestinorum*, qualis cura tentari possit (incurabiles enim fere affectus) in Chirurgia indicatur. Si à *Flatu*, *Carmina*-
tiva

tiva interna & externa prosunt, Materia eorum evacuata. Si à Materia pungente, ut Vermibus, Pituita, Bile, Alimento, Medicamento, Veneno, &c illico valido Purgante (si modo vires, graviditas humoris conditio, permiserint, educenda. Quibus non sufficientibus, tenax materia Calidis præparanda, calida Refrigerantibus. *Mucus intestinorum deficiens* Alimentis viscosis reparatur.

XXIII. ANUS speciatim dolore affligitur, quoties *Hæmorrhoides cæcæ, Condylomatibus, Ulcere, Fissuris* que tentatur. Omnia C A U S A S, C U R A N D I Q U E modum Chirurgia exhibet.

XXIV. In H Y P O G A S T R I O dolorem C A U S A T quicquid in *Vesicâ urinaria, Utero* pungendo, divellendo, erodendo, continuum solvere valet. Huc quæ de *Inflammatione utriusque partis, Excoriatione, Ulceribus, similibusque Chirurgia specialis tradit, Huc Urina, Sanguis, Calculi, Semen.*

XXV. Puerperis peculiaris Dolor, qui & DOLOR POST PARTUM vocatur, C A U S A M habet vel Aerem externum admissum, vel Sanguinem mordacem aut grumosum uterus affidentem.

In C U R A T I O N E Uteri habeatur ratio per Confortantia, Attenuantia, Cordialia, intus & extus usurpata.

XXVI. P U D E N D U M quoque V I R I L E Dolorem non raro incurrit, in Inflammatione imprimis, Excoriationeque Urethræ. Huc Sanguis, Semen acre, Arenula, Urina acris, Medicamenta injecta, Instrumenta immissa. C U R A T I O utriusque ex Chirurgia peti debet.

XXVII. Inter dolores omnes summæ considerationis A R T H R I T I S, s. *Dolor articulatis*, atrocissimus saepe, per intervalla stata magis rediens. Hæc in pede specialiter Podagra dicitur, in genu Gonagra, in coxendice Ischias, in manu Chiragra, circa claviculam Cleisagra. Alii autem articuli si dolore obsideantur, nomen fere generale retinent. In

Spinâ

Spinâ dorsi Belgis 't Spit appellatur. 2. Arthritis alia est Vaga, qualis ferè universalis, alia fixa magis, qualis particularis omnis. Causa nobis videtur sanguis tartareus, debite resolutus.

CURATIO consistit in præcautione, & doloris in Paroxysmo ablatione. Præcautio instituitur, si materiæ Arthriticæ prohibeatur ad articulos accessus, in iisque retentio, quod fit submovendo Causas ejus copiam atque tenuitatem producentes 2. Diætam tenuem & modice refrigerantem usurpando. 3. Venælectione, Purgatione, Vomitu, Fonticulis, Vesicatoriis, aliisve mediis humorem peccantem educendo. Dolor ipse in genere Purgationem validam inhibet, Sudoris provocationem permittit, Venæsectionem imperat. Hinc Alterationem exigit per refrigerantia, dissipantibus, mixta. In Specie autem si tolerabilis dolor sit, materia in parte affecta hærens discutiatur. Ubi Spiritus vini, Urina pueri, Muria, &c. pro fomento, Balneum ex ligno Juniperino Hearnii, Emplastrum Fernelii, commendantur. Aliquando & Repellentia conferunt, modo non sint nimis valida ac frequentia. Tophi si instent, Emollientia applicanda, ubi prosunt Gummata.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. In pleurite atri profundum superveniens, bonum est signum, respectu Evacuationis.
- II. In quartanis febris die paroxysmi purgans dare licet.
- III. Urina non tingitur a bile.
- IV. Bilis non fertur ex Hepate ad Sanguinem, sed ex sanguine ad hepar.
- V. Dantur purgantia electiva.
- VI. Chylus separatur a fæcibus antequam ventriculo exit.
- VII. Venæ sectione purgationi recte præmittitur.
- VIII. Solus sanguis est nutrimentum corporis.
- IX. Non autem succus nervaceus.
- X. Nec Lympba.
- XI. Ventriculus virtute insita chylificat.
- XII. Non dantur vas a lactea in intestinis crassis.
- XIII. Et tamen dantur clysteres nutrientes.

F I N I S.